

tus multis ignorantibus, quia cum multa singularia fiant, et transeant in eodem momento temporis, nec possit Angelus omnibus simul adesse, ut ab omnibus species accipiat, multa necesse est ab eo transeant, et ignorantiam eorum habeat, et sic semper remanebit intellectus ille ex natura sua non plenus sapientia, quia multis ignorantibus expositus, et sic a sapientia deficiens, cum tamen a Scriptura dicatur: *Plenus sapientia*, et ratio id dicat, quia natura angelica est perfectissima in genere intellectuali: ergo non est naturaliter ignorans, et acquisitiva scientiæ. Nec propter hoc timendum est, quod per illas species cognoscat omnia singularia etiam futura, quia illæ species repræsentant singularia eo modo quo sunt, et dependenter ab eorum terminatione, ita quod quando sunt intra causas, repræsentant ea intra causas, quando extra, ut existentia in se, non vero in sedeterminate quamdiu sunt futura: in hoc enim non est inconveniens quod dependeat species angelicæ a productione singularium, ut a termino suæ repræsentationis, quia similitudines sunt derivatæ ab ideis divinis, et eo modo repræsentant res in intellectu Angeli, quo derivantur a Deo per successum temporis, ut dicamus latius disputatione sequenti.

XIX. Secundum principium supra positum quod repugnet Angelum acquirere species a rebus materialibus, sumitur ex parte objectorum, quia non potest Angelus acquirere species ab objectis materialibus, nisi prius sint cognita a sensibus, et imaginatione.

Cujus ratio est, quia vel intellectus sumit suas species ex objectis jam cognitis, et præsuppositis in aliis potentiis cognoscentibus præter intellectum, vel non, sed imme-

diante ab ipsis objectis in se haurit species. Si primum, jam supponit sensum, et cognitionem sensitivam, quia objecta extra intellectum cognita, non nisi in sensu supponi possunt, quia præter intellectivam cognitionem non datur nisi sensitiva, qua tamen caret Angelus; et sic ex illa non potest species haurire, nisi dicatur quod accipit species a sensibus, non suis, sed nostris; quod est omnino ridiculum, et est facere Angelum deterioris conditionis quam hominem in cognitione sua, cum homo, quia naturaliter petit accipere species a sensibus, naturaliter etiam uniatur corpori, in quo sunt sensus, Angelus autem si connaturaliter etiam petat accipere species a sensibus, non habeat illos sibi unitos, sed indigeat ab homine vel a brutis accipere species ex eorum sensibus, quasi si homo, vel bruta non sint, Angelus maneat in obscuro. Nec etiam dici potest quod Angelus hauriat species, non a sensibus, sed ab intellectibus aliorum Angelorum, tum quia non bene explicari potest, quomodo unus Angelus illabatur menti alterius, ut ab eo accipiat species, et si alter noluerit ut ab eo species accipiat, non intelliget; tum quia hoc modo si unus tantum Angelus produceretur, ille non intelligeret, quia non esset alius intellectus a quo species acciperet; tum quia quilibet Angelus deberet supponere alium jam intelligentem, et habentem species ut ab eo acciperet, et ille alium, et sic vel procederetur in infinitum, vel daretur circulus, ita ut iste acciperet species ab illo, et ille ab isto ut intelligeret; sicque supponerentur ad invicem habere, et non habere species, vel deveniretur ad unum qui species non acciperet ab alio, sed a Deo connaturaliter: eadem autem ratio est de omnibus, quia nullus operatur intra mentem alte-

rius, eique illabitur, licet illum illuminet illum per exteriorem propositionem veritatis, ut disputatione xxv dicitur.

XX. Si autem dicatur quod intellectus Angeli accipit species non ex objectis jam cognitis ab alia potentia sive sensitiva, sive intellectiva, sed immediate ab ipsis objectis, peiora sequuntur inconvenientia. Nam vel accipit ab ipsis objectis species purificatas, et denudatas a conditionibus individualibus, et in universali repræsentantes, vel non, sed directe repræsentant ipsa singularia materialia in se. Si hoc secundum, illæ species nihil differunt a sensibilibus, quales sunt species sensibus impressæ, quæ repræsentant directe singularia materialia, et essent imperfectiores speciebus nostri intellectus, quia nostræ species repræsentant res in abstracto, et universaliter, illæ autem species quas Angeli acciperent a rebus, repræsentarent singulariter, et quælibet suum determinatum individuum tantum; et sic quantumcumque essent spirituales essent tamen in repræsentando minus universales et perfectæ, quam species nostri intellectus, quia magis restrictæ, et determinatæ essent. Est autem inconveniens quod Angelus, qui est perfectior homine in intelligendo non petat perfectiores species quam ille. Si vero accipit ab objectis species, non in singulari, et determinate repræsentantes cum conditionibus individuantes, sed abstractas, et denudatas ab illis, sicut species nostri intellectus: ergo cum ex una parte non supponat ipsa singularia cognita per sensus, quia non habet illos, sed immediate abstrahat ab objectis, et ex alia parte species illæ quas abstrahit, non repræsentent directe ipsa singularia, seu conditiones individuantes, quia abstrahit, et denudat ab illis ipsas spe-

cies: ergo remanebit Angelus ex natura rei cum cognitione valde confusa, et solum in communi, et in universali, quia directe non repræsentantur singularia cum ab illis abstrahat, nec reflexe potest illa cognoscere, cum non habeat sensus, supra quos reflectat, et in quibus supponat singularia esse cognitum directe, sicut in nobis invenitur, nec supra ipsum objectum a quo accepit species posset semper reflectere, cum non semper Angelus sit illi conjunctus, nec ipsum objectum sit semper existens: ergo remanebit cognitio Angeli omnino imperfecta, et truncata respectu cognitionis singularium. Dicere autem quod species illa quam Angelus acquireret ab objectis, utrumque directe repræsentaret, scilicet tam universale, quam singulare, omnino repugnat, quia species quæ fiunt universales per abstractionem a singularibus, separant unum ab alio, et repræsentant unum relicto alio: et sic repræsentant naturam in universali, non repræsentatis ibi directe conditionibus individualibus, sicut species visibilis repræsentat colorem pomi, et non saporem: ergo non potest species aliqua repræsentare per viam abstractionis naturam aliquam in universali, et simul directe repræsentare conditiones individuantes directe, si quidem abstrahunt ab illis.

XXI. Dico tertio: Non potest Angelus accipere species a rebus immaterialibus seu spiritualibus, neque per actionem Angeli in talia objecta, neque per actionem talium objectorum in intellectum Angeli. De hac conclusione videndus est Navarrete hic contro. l. et Carmelitani Salmanticenses tractatu vi de Angelis, disp. v, dub. m, licet oppositum tribuatur Scoto, et Alensi supra citatis Imo D. Thomas quæstione de anima, art. xviii ad xiii et art. xx

ad xi dicit quod : « Animæ separatæ infunduntur species mediantibus Angelis. » Cæterum D. Thomas in hac quæstione art. ii ad i absolute docet, quod : « Similitudines, quæ sunt in mente Angeli non sunt a creaturis acceptæ, sed a Deo, qui est creaturarum causa, » et loquitur indistincte de omnibus creaturis sive spiritualibus, sive corporalibus. Et infra quæst. LVII, art. ii expresse docet quod : « Impressæ sunt Angelo similitudines seu rationes omnium tam corporalium, quam spiritualium a Verbo Dei. » Et videri potest infra qu. CVI, art. i, ubi negat ab Angelo illuminante infundi aliquod lumen inferiori. Et idem docet in ii, dist. IX, qu. i, art. ii ad iv et qu. IX de verit. art. i, præsertim ad x, ubi docet quod : « Angelus illuminans non infundit species. » Certe quod substantiæ spirituales non imprimant species suas intellectibus Angelorum, nec isti eas ab illis accipiant argumento est, quia Angeli in principio suæ creationis acceperunt species, quibus cognoscerent alios Angelos, neque expectaverunt ab eis species accipere : ergo hoc connaturale est ipsis Angelis : nam si connaturale esset accipere species ab ipsis objectis spiritualibus, non negaretur hoc ipsis Angelis. Habuisse autem ab initio species infusas, quibus Angeli se cognoscerent patet, quia in ipso primo instanti creatione cognoverunt se, quia exercuerunt actum charitatis, quo dilexerunt Deum, et proximos; similiter quilibet Angelus cognovit gradum, et excellentiam suam, quia comprehensive se cognovit : ergo cognovit se esse superiorem vel inferiorem aliis, et consequenter alios cognovit : ac denique Angelus dicitur fuisse : *Plenus sapientia, et perfectus in viis suis a die conditionis suæ*, Ezech. xxviii. Non esset autem plenus sapientia, si in illo primo

instanti deesset illi perfectissimorum entium cognitio, id est, ipsorum Angelorum. Si autem in ipso primo instanti creationis cognoverunt alios Angelos, non potuit id esse per impressionem specierum ab ipsismet Angelis factam in alios, vel per acceptionem ab ipsismet Angelis, quia omnes simul sunt producti. Non poterat autem unus ab alio accipere nisi illum supponeret existentem, ut hauriret ab illo, ut ab objecto species : nec iterum omnes poterant in alios imprimere, quia inferiores non poterant species sui in superiores imprimere, hoc enim esset plusquam illuminare illos. Negat autem S. Thomas inferiores Angelos illuminare superiores infra quæst. CVI, art. ii.

XXII. Ratio autem a priori ea est, quam sæpius indicat. S. Thomas ut videri potest ii contra gentil. c. xcviii, circa finem, in ii ad Annibaldum, dist. iii, quæstione unica, art. i ad ii, quia unus Angelus non potest illabi intra mentem alterius per suam substantiam, neque immediate operando intra illum, præsertim infundendo lumen, vel species, ut docet infra qu. cv, art. iii, ergo una substantia spiritualis non potest imprimere speciem suam in intellectu alterius Angeli, neque ipse ab eo haurire. Hæc consequentia patet, quia species spirituales non possunt produci ab uno Angelo in alium transeundo per medium, quia medium est extensum, vel corporeum, species autem illæ sunt accidentia spiritualia; et sic non possunt inhærere medio corporeo, et multo minus in vacuo, in quo essent sine subjecto : debent ergo produci sine aliquo medio in ipso intellectu Angeli a substantia spirituali alterius Angeli, vel ab ipsa extrahi per aliquam virtutem Angeli accipientis species intra se, et non per aliquod medium ab Angelo distante eas at-

trahendo. Substantia autem alterius Angeli nequit intra intellectum alterius intrare, et præsens ei fieri, quod dicitur illabi intra mentem alterius : talis enim illapsus, seu infirma assistentia, et conjunctio solum convenit vel radici ipsi a qua dimanat intellectus, quæ est ipsa substantia, cujus intellectus iste est, et a qua dimanat, vel principio a quo creatur, et procedit ut effectus proprius, scilicet Deo. Reliqua autem entia quæ influxum non habent in intellectum, vel emanationis, vel creationis, ita ut illi dent esse, non possunt intime assistere, et intrare intra terminos intellectus, quia ista assistentia, et præsentia intima, non est præsentia localis aut situalis, quia hæc ad nihil deservit pro intellectu per se loquendo, licet per accidens, ut in nobis, quia anima nostra unita est corpori sensibili, quod sibi intime præsens est, quia ab eo informatur, præsentia localis intercedat erga objecta a quibus species per sensus hauriuntur, et ipsi sensus animæ, et intellectui præsentibus sunt : remota autem indistantia locali, seu situali, non restat aliud quam quod illabatur et jungatur intellectui ratione aliqujus causalitatis in illum, vel e contra. Nulla autem substantia creata habet causalitatem in Angelum, seu in intellectum ejus, cum non fiat ab illa, nec dependeat : fit enim plene, et totaliter a Deo per creationem, et eodem modo neque intellectus Angeli habet rationem causæ in alium Angelum, nec ipse rationem effectus ejus, quia etiam totaliter est a Deo : nec aliud genus causæ sive materialis sive formalis potest unus Angelus exercere erga alterum, cum nec unus recipiat alterum, neque informet. Nulla ergo causalitas intervenire potest, ratione cujus jungatur unus Angelus menti alterius, et sic imprimat illi

speciem sui agendo in illum, vel e contra.

XXIII. Et si inquiras, quis est iste illapsus qui ita repugnat Angelo intra alterius mentem, vel essentiam quod soli Deo tribuitur, cum non repugnet Angelum esse in loco, in quo alter Angelus, vel corpus est, et hoc sufficit ad illapsum, respondetur quod aliquid illabi alteri est esse intra ejus terminos. Ut autem dicit S. Thomas in ii, dist. viii, q. i, art. iii ad v : « Duplex est terminus, alter quantitatis, alter essentiæ; Angelus autem operans intra terminos corporalis quantitatis, corpori illabatur; non autem ita quod sit intra terminos essentiæ suæ, nec sicut pars, nec sicut virtus dans esse, quia esse est per creationem a Deo. » Quare illapsus localis non repugnat Angelo, quia ad hoc non requiritur causalitas intra rem, sed non obsistentia ad occupandum locum : illapsus autem intra essentiam, vel intellectum requirit aliquam causalitatem, vel sicut forma aut materia, seu subjectum sustentans, quod nomine partis intelligit D. Thomas, vel causalitatem efficientem per modum influentis esse, quod esse est intimum rei. Quare cum respectu intellectus alterius non possit Angelus alter esse, neque causa efficiens dans esse, aut infra immutans, neque forma aut subjectum ejus, non illabatur ei.

XXIV. Quod si dicas, quod licet propinquitas, et indistantia situalis non deserviat intellectui per se ad cognoscendum, cum potius abstrahat intellectus a loco, et tempore, tamen deservire potest ad agendum vel recipiendum, sicut Angelus ad agendum in corpus illi appropinquat, et jungitur, licet non causet illud, et unus Angelus appropinquat alteri agitque in illum, sicut Angelus Raphael apprehendit dæmonium, et religavit illud, Tob. viii,

et alter Angelus, Apocalyp. xx apprehendit draconem, qui est diabolus, et ligavit eum per annos mille, et misit in abyssum: ergo supposita hac propinquitate, et indistantia unius Angeli erga alium, cur repugnabit quod Angelus speciem sui producat in alterum Angelum, respondetur propinquitatem unius Angeli erga alterum, vel erga corpus ad agendum sine dubio dari, sed totum hoc est ad operandum per motum localem, quem Angelus exercere potest, tum erga corpora, tum erga alium Angelum. Cæterum motus iste localis, et præsentia, seu indistantia aut distantia quæ ad illum sequuntur, omnino se habent per accidens ad agendum in intellectum, quia impressio specierum seu infusio luminis per motum localem non fit, neque ab eo dependet. Unde quantumcumque unus Angelus habeat erga alterum indistantiam seu conjunctionem aptam ad motum localem vel agendum, vel recipiendum, non tamen ad producendum speciem sui intra intellectum, quia Angelus quando per motum localem appropinquat ut operetur, vel faciat aliquem effectum, id efficit conjungendo activa passivis, non per suam virtutem generando, aut producendo. Si ergo unus Angelus conjunctus, et appropinquans per motum localem alteri Angelo, potest imprimere species intelligibiles alteri Angelo, oportet quod præter motum localem quo illi appropinquat, localiterque conjungitur, supponatur in Angelo inesse virtutem ad immutandum intellectum alterius Angeli, quia species illæ produci debent educendo eas de potentia ejus subjecti in quo inhærere debent, et cum inhæreant intellectui Angeli, vel a substantia ejus educantur ut imprimantur intellectui, debet Angelus habere vim causativam intra intellectum Angeli præ-

ter vim motivam, et appropinquan-tem localiter. Hanc ergo causalitatem, et vim immutativam intra intellectum alterius Angeli non habet, quia intra intellectum operari immutando ipsum tamquam ab agente extrinseco, sicut et intra voluntatem, solius Dei est, qui tales potentias creat, et facit, et ita universales sunt in operando, quod soli Deo, qui est universalissimum agens subduntur, ut infra q. cv, art. iii et iv docet S. Thomas præsertim loquendo de voluntate; et eadem ratio est de intellectu, qui in universalitate suppar illi est, et est radicale principium libertatis. Itaque istæ potentie propter suam summam universalitatem non possunt per actionem alicujus creaturæ immutari intrinsece, nisi vel ab aliquo sui, sicut intellectus agens immutat nostrum intellectum, et intellectus voluntatem, vel a suo proprio generante, et factore, qui est Deus. Et tenemur hoc ita dicere saltem convicti a posteriori, quia si unus Angelus posset interius illabi operando, et immutando intellectum, aut voluntatem alterius, posset utique intelligere cogitationes cordis ejus, quia non est ratio cur habeat vim immutandi intus ipsum intellectum, et non habeat facultatem cognoscendi illud quod immutat, et in quod agit, videndo quid operetur, si quidem intellectus ille est mutabilis ab ipso, potestque intra ipsum operari. Denique, ad hoc serviunt etiam rationes supra allatæ quod Angelus comparatur in genere spiritualium sicut cælum in genere corporalium, quod habet perfectionem suam statim a principio, nec per aliud agens perficitur, sic Angelus non perficitur ab alio in habendis formis intelligibilibus, sed a principio eas petit habere, de quo tamen exemplo plura dicemus infra disp. xxii, art. iv. Et deinde, quia alias esset in ma-

nu alterius Angeli quod non cognosceretur ab alio si vel nollet ei imprimere species, vel nollet permittere ut intellectus alterius Angeli a se eas hauriret: per enim illapsus, et conjunctio requiritur, sive Angelus imprimat intra intellectum alterius speciem sui, sive permittat, ut intellectus alterius a se accipiat.

XXV. Ad loca D. Thomæ supra allata ex quæstione de anima, dicitur quod quidquid ibi senserit D. Thomas certe in hac prima parte oppositum docet: nam infra quæst. lxxxix, art. iii dicit quod: « Anima separata intelligit per species infusas, quas recipit ex influentia divini luminis, sicut et Angeli. » Ubi nihil discriminat inter Angelos, et animas: ergo sicut Angeli immediate recipiunt a Deo, ita et animæ, et art. ii ad ii dixerat, quod: « Anima separata intelligit Angelos per similitudines divinitus impressas. » Posset tamen dici quod etiam in illis locis citatis ex quæstione de anima, loquitur S. Thomas de causatione specierum in anima facta ab Angelis, non quantum ad ipsam specierum substantiam, quæ solum a creatore fit, sed quantum ad aliquam perfectionem ordinandi has species, quæ ex illuminatione Angelorum per extrinsecam propositionem fit, sicut a magistro species in discipulo ordinantur, non species ipsæ discipulo infunduntur intra intellectum operando. Et moveor ad hoc, quia in primo loco, scilicet art. xviii ad xiii non loquitur D. Thomas expresse de speciebus, sed de perfectionibus intelligibilibus, quas dicit provenire a Deo mediantibus Angelis, non solum naturales, sed etiam quæ ad mysteria gratiarum pertinent; constat autem, quod lumen gratiæ, et supernaturales species Angelus producere non potest, sed solum illuminationes per extrinse-

cam propositionem. In secundo autem loco, ubi clarius loquitur de speciebus naturalibus infusis, addit sanctus doctor quod: « Causantur hujusmodi formæ in anima separata per Angelum, non per modum creationis, sed sicut id quod est in actu reducit aliquid sui generis de potentia actum. » Constat autem quod infusio specierum quoad substantiam fit ad modum creationis, quia Angelis infunduntur species in ipso creationis instanti, et per eum modum infunduntur quoties de novo dantur. Hoc autem modo negat D. Thomas eas ab Angelo causari in anima: ergo non sentit ipsas infundi ab Angelo quoad substantiam, sed perficit, et ordinari ut a magistro.

XXVI. Sed adhuc instabis: Nam Angelus potest illuminare alium Angelum, et hominem, non solum proponendo exterius veritatem a se cognitam, sed etiam lumen inferioris interius confortando: ergo potest interius immutare intellectum, et consequenter ex hac parte producere speciem sui intra intellectum Angeli. Consequentia patet, quia illa confortatio luminis ut distinguitur a propositione externa veritatis, non potest intelligi nisi per actionem internam intra intellectum: quidquid enim reliquum est pertinet solum ad illuminationem per modum magisterii, quod non fit per confortationem luminis interius, sed solum per externam manifestationem. Antecedens probatur ex D. Thoma, tum infra quæst. cvi, art. i, ubi inquit quod: « Angelus dupliciter notificat veritatem sibi notam alteri. Primo ex parte virtutis intellectivæ, fortificando illam. Secundo, ex parte similitudinis, et speciei proponendo veritatem magis distincte, et particulariter quam magis in universali intelligit superior Angelus. » Et quæst. cxvii, art. i,